

(Secreta.)

Suscipe domine munera. *Require ut supra.* [p. 22.]

(Post communio.)

Auxilietur† nobis domine.

5 IN SANCTI IOHANNIS APOSTOLI ET EUANGELISTE.
(*In sancti Iohannis statio ad sanctam mariam maiorem.*

Introitus.)

IN medio ecclesie aperuit os eius et impleuit eum dominus
spiritu sapientie et intellectus. stollam glorie induit eum.

10 (Ps.) Bonum est confiteri domino. (V.) Gloria patri et filio.

(Oratio.)

ECclesiam tuam domine benignus illustra. ut beati
iohannis apostoli tui et euangeliste illuminata doctrinis.
ad dona perueniat sempiterna. Per.

15 *Et fit commemoratio de natiuitate. et de sancto stephano.*

(Lectio libri sapientie) [Ecclesiasticus xv. 1-6].

QUI timet deum faciet bona. et qui continens est iustitie
apprehendet illam. et obuiabit illi quasi mater honori-
ficata. Cibabit illum pane uite et intellectus. et aqua sapientie
20 salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo et non flectetur
et continebit illum et non confundetur et exaltabit illum apud
proximos suos. In medio ecclesie aperuit os eius. et impleuit
eum dominus spiritu sapientie et intellectus. et stollam glorie
induit eum. Iocunditatem et exultationem thesaurizabit
25 super eum. Et nomine eterno hereditabit illum dominus deus
noster.

(Graduale.) Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non
moritur. (V.) Sed sic eum uolo manere donec ueniam. tu me
sequere. Alleluia. (V.) Hic est discipulus ille qui testimonium
30 perhibet de his. et scimus quia uerum est testimonium eius.

(Secundum Iohannem) [Ioan. xxi. 19-24].

IN illo tempore. Dixit iesus petro. Sequere me. Con-
uersus petrus. uidit illum discipulum quem diligebat iesus
sequentem qui et recubuit in cena super pectus eius. et dixit.
35 Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cum uidisset
petrus. dicit iesu. Domine hic autem quid? Dicit ei iesus.
sic eum uolo manere donec ueniam. Quid ad te? Tu me
sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres quod discipulus
ille non moritur. et non dixit ei iesus quia non moritur. sed
40 sic eum uolo manere donec ueniam quid ad te. Hic est